

Die Urkunden Karls des Großen, 289

Carolus serenissimus augustus a deo coronatus magnus pacificus imperator et advocatus Romanorum, qui et per misericordiam dei rex Francorum multo tempore dictus et cognitus, omnibus fidelibus Christi ac nostris gratiam et salutem. Notum sit fidelitati vestrae, qualiter nos divino amore compuncti venerabilem locum Fuldensis monasterii pro honore sanctissimi Bonifacii specialissimo amore diligentes propter nomen domini et propter spem vitae aeternae donamus et contradimus ad eundem locum locum fisci nostri situm iuxta fluvium Sala vocabulo Hamalaburc cum villa Dietpah nuncupata cum omnibus appendiciis et copertinentiis suis; item alium locum Hunefelt vocabulo simul cum aecclesia in honore sancte Crucis aedificata, ubi in honore dominicae passionis venerandas reliquias, scilicet de spinea corona, de lancea et de clavis, recondi et conservari iussimus, cum omnibus compendiciis et cohabitationibus suis totum in integrum et in proprium deo et sancto Bonifacio ac fratribus in prefato monasterio deo servientibus donamus atque contradimus, ea lege et conditione ut nostri semper sint memores apud deum et de nostris oblationibus et donariis victimum et vestitum habeant. Et ut haec donatio seu traditio firma sit semper et stabilis nec ullus hominum eam violare possit, anuli nostri impressione et nominis nostri inscriptione cartam hanc insigniri precepimus.

Signum domni Karoli (M.) imperatoris augusti.